Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 493
Quelle:
Copyright:

lio, *Rigaltio*que optasses, quodque futuro saltem ejus Editori negligendum non erit, ita non pauca ad perficiendum textum cum a prima, tum a secunda manu ministrat. Atque ut fides sit adserto, Lectionis varietatem probabilem e breviculo *Libro ad Scapulam* Africae Praes. adscribo:

Editio.	Codex.
a Deo consecutum est	Redundat: *est.*
videntur tibi impune tulisse	*sibi impune tulisse.*
contenditis ad eligendos nos	*ad elidendos nos.*
quasi tumultuosum civibus suis	*quasi tumultuosis civibus suis*
satisfacere	*satisfaceret.*
quid facies de tantis millibus	*quid facies decem millibus.*
cum viderit illic	*cum videris illic.*

Ad calcem Codicis: *Antonii Seripandi e Testamento Jani Parrhasii*, cui gratus Heres in Coenobio supra nominato Monumentum posuit, ut habes in *Mabillonii Museo Ital.* P. I. p. 111.

CCLXXIV.

R. 2229 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 270. f. nitidissime perscriptus, fronte et initiorum literis penicillo Italo eleganter expictis et deauratis *S. Cypriani* Opera complectitur. Folio praevio haec leguntur: *Nos Johannes Episcopus Wratislauien. donauimus hunc preclarum librum sancti Cipriani martiris monasterio Carthusien. in legnitz* 1499. Dein: *Ego Lambertus Gruterus Episcopus Neostadiensis in Austria accepi ex Carthusia Olmucensi a R. P. Visitatore anno 1577. die ultimo Junij, quo tempore cum Rodolfo II. obirem terras omnes Bohemici Regni, Seruoque mihi tamquam thesaurum. Johannes Roth Rhaetus Wemdinganus* e Protonotario Caes. et Decano *Passav.* et *Wratislav.* Ecclesiae Episcopus primum *Lavantinus* in *Carinthia* 1469. dein *Wratislaviensis* 1482. obiit 1506. *Lambertus Gruterus Venradius Belga Colonia* ad Aulam Caes. 1569. evocatus Ecclesiastes facundus a *Maximiliano* II. cui pergratus fuit, cujusque deinceps morti, ut in Literis ad Vicarium suum *Job. Seidelium* his verbis: *Plenus in Deum fiducia obiit nobis praesentibus et illi comprecantibus*, testatus est, *Ratisbonae* adfuit, a. 1572. ad Infulas *Neostadienses* promotus eas usque ad annum mortis 1582. maxima cum laude gessit extinctus *Augustae* in Comitatu Caesaris. Carthusia *Lignizensis*, seu *Domus Passionis Christi* filia *Erfordianae* fundata est circa a. 1430. a Duce *Ludovico*. De *Olomuciensi* dixi alias. Sed jam ad *Cyprianum*. Praemissa adcurata *Tabula*, qua etiam prima